

crasset idem numero omnino corpus Christi, quod fuerat viuum pendens in Cruce, & in hoc conueniunt Theologi. Adde quod illa res, quæ est tanrummodò suppositaliter vna, non est verè vna numero; quia vnitas numerica non petitur à supposito, sed à gradu indiuiduante, alioquin dici posset ex responsione Suaris naturam humanam in Christo, & naturam Diuinam esse vnam numero propter vnitatem suppositi, quod est hæreticum: falsum ergo est, quòd vnitas numerica petatur à supposito, proindeque dicendum per aliquam eandem formam corpus Christi viuum, & mortuum fuisse idem numero; quæ forma cum non sit ipsa anima, non poterit aptiori vocabulo dici, quàm *forma corporeitatis*.

*Quartò*: Statim atque anima discessit è corpore, materia non remanet informis, vt patet, neque de nouo acquiritur aliqua forma, quæram enim, à quo producatur? nam si produceretur ab aliquo agente, hoc deberet fieri in instanti, quia in eo instanti, quo discessit anima, debuit fieri introduci alia forma noua; at agens naturale non agit in instanti; dicendum ergo est melius, quòd statim atque discessit anima, forma ipsius corporeitatis exeat foras, informetque sola compositum. Scio quasdam esse responsiones ad hanc rationem, quas tamen, quia nihil habent solidi, non afferam.

*Quinta Ratio* potest esse ea, quam affert de Bacone *tertio sententiar. dist. 19. quæst. vnicò. art. 1.* hunc in modum. Fides tenet totam substantiam panis secundum materiam, & formam substantialem conuerti in corpus Christi, non in animam intellectuam, nec in eius Deitatem, ac non potest saluari, nisi corporeitas Christi differat ab anima intellectuã.

*Sextò*: Diuersorum agentium diuersis mutationibus impossibile est terminum esse vnum, & eundem numero ex quinto *Phys.* sed homo, in generatione hominis agit propria mutatione, & Deus creando animam agit alia mutatione, aut etiam alio tempore, siue mutatione, ergo alia, & alia forma terminat hinc inde. id est actio Dei terminatur ad animam rationalem, & actio generantis terminatur ad formam corporeitatis.

*Obijciunt primò Thomistæ*: Vel illa forma corporeitatis est accidentalis, vel substantialis; non accidentalis, vt fatentur *Scotistæ*, alioquin deberent dicere ante compositum substantiale iam præcessisse compositum accidentale, scilicet ex materia, & illa formam accidentalem, ergo est substantialis; sed si præter animam in viuentibus præexisteret alia forma substantialis in materia, per quam subiectum iam esset ens actus, sequeretur, quòd anima non daret esse simpliciter composito. Pro cuius confirmatione notant hanc esse differentiam inter formam accidentalem, & substantialem, quòd accidentalis det tantum composito esse secundum quid, at substantialis det esse simpliciter; quia autem illa forma corporeitatis daret tantum esse secundum quid, deberet dici forma accidentalis.

*Respondeo* illam formam corporeitatis esse substantialem: cum verò inferatur: si hoc esset, daret esse simpliciter composito, & forma specifica postea adueniens adueniret enti completo, proindeque accidentaliter, Respondeo,

quòd hoc esset verum, si forma illa corporeitatis non esset subordinata, cum ergo sit forma subordinata (subordinata inquam ipsi formæ specificæ) ideò forma specifica adueniens dicitur dare composito esse simpliciter; forma verò corporeitatis esse corporeum, quod esse corporeum determinatur in tali, vel tali specie per formam specificam; non igitur dicitur forma specifica aduenire accidentaliter, cum illud esse corporeum habeat ordinem ad formam specificam: aut negandum est, quòd illud esse corporeum sit esse completum, quandoquidem postulat maiorem completionem, scilicet formam specificam, Illud autem ex D. Thoma adductum de forma accidentali, & substantiali, verum est de forma substantiali completa, seu specifica; Vnde cum dicitur: illa est forma accidentalis, quæ dat esse subordinatum, & secundum quid, quæ dat esse secundum quid vltimatè, concedo, non vltimatè, nego. Albedo quidem dat esse album parieti secundum quid, & vltimatè, quia paries habet esse coloris per albedinem, & cæstante in pariete non recipit paries alium colorem, nisi priùs albedo expellatur; at forma corporeitatis, quamuis sit substantialis, tamen ex natura sua tendit ad vltiorem formam, nimirum specificam: aut dici potest, quòd suo modo forma corporeitatis det esse simpliciter, constituit enim corpus in esse corporis: imò remorà formam specificam viuentis non definit corpus esse corpus.

*Obijciunt secundo*: Vnius naturæ vna est forma; sed quodlibet viuens habet vnam solam naturam, & vnum esse, ergo & vnam formam. Respondeo: concedo maiorem de formis completis; non verò de incompletis. Infabis; illa forma corporeitatis est quid completum, illud enim debet dici completum, quod non postulat alium gradum in ratione sui, à quo compleatur, at hæc forma non postulat alium gradum, ergo &c.

*Respondeo* notando aliquid posse considerari in se, seu absolute, secundò ratione alterius, seu respectiue; si consideretur forma corporeitatis in se, & in suo genere, scilicet in esse corporis, videtur esse aliquid completum, vt diximus in responsione ad superiorem obiectionem, quia scilicet dat esse corporeum enti Physico: si verò consideretur, quatenus respicit formam specificam, quæ debet dare illi enti Physico determinatam speciem, tunc censetur incompleta, licet ergo non postulet illa forma corporeitatis compleri in ratione sui, postulat tamen compleri ratione compositi Physici; vnde forma corporeitatis, dum sit forma cadaveris, est in suo esse completo, est tamen eadem arque antea: talis enim est naturæ ordo, vt illa forma corporeitatis, quæ ante quasi occultabatur, & veluti operiebatur à forma specifica, post discessum formæ specificæ ipsa manifestetur, informetque sola tunc materiam.

*Obijciunt tertio*: Si daretur talis forma corporeitatis, esset indiuiduum sub aliqua specie: sed hoc non.

*Respondeo* hoc vltimum negando, est enim sub genere substantiæ, sub specie corporis, estque eius indiuiduum.

Obj.

*Nam. et. Aduersus & soluantur rationes contra resolutionem. Obj. primò.*

*Resp.*

*Obj. secundo*

*Resp.*

*Obj. tertio*

*Obj. tertio.*

*Resp.*